

Argumentum Apocalypsis magis explicatur.

primò, tribus primis capitibus increpat Ioannes, & dat salutaria monita Asiae Episcopis. Deinde cap. 4. Ascendit Ioannes spiritu ad Deum thronum, viditque ipsum librum Apocalypsis signatum sigillis septem, referanturque ipsa sigilla usque ad cap. 11. Sigilla autem hæc continent ea, quæ futura sunt usque ad finem mundi in Ecclesia, tanquam antecedentia tempore Antichristi, ac extremo iudicio.

Tandem à cap. 11 usque ad finem proponuntur libri, sigillaque eius aperta; referunturque ea, quæ spectant ad Antichristi tempora bellumque, ac persecutio contra fideles, ac sanctos; justorumque constantia: Enoch, & parentis Eliæ prædicatio, martyrium & resurrectio, & tandem novissima plaga, ac interitus ipsius Antichristi cum suis sectatoribus. Et demum cap. 20. universale iudicium, & duobus ultimis capitibus exprimitur Beatorum gloria. Quæ omnia idcirco proponuntur, ut mai à vitiis deterreantur, bonique ad perseverantiam in bono exhortentur; nec quisquam persecutionum eventu animum despondeat, sed omnes firmiter sperent, post hæc Ecclesiæ calamitates sempiterna bona consequuturos.

QUESTIO IV.

Utrum hic liber Apocalypsis sit Canonicius, & quis il lius Auctor?

23. Liber Can. Conc. Rom. Conc. F. or. Conc. Trid. Innoc. Gelaf. d. August. Cassiod. d. Isidor.

Bellarmin.

24.

25. Euseb.

Ioannes Apoc. Solus.

Tolet. Trid.

26. D. Dionys. Papias.

L IBER Apocalypsis est scriptura Canonica. Assertio est de fide, ut patet ex Concilio Romano sub Damaso; & Florentino in bulla unionis, Tridentini sess. 4. Ex Carthaginens. 3. Toletano 4. ex Innocentio II. Epistola 3. ad Exuperium. Inde Gelafius, D. August. lib. de doctrina Christiana. Cassiodor. D. Isidor. & alii, qui seriem librorum Canonico- rum intexerunt, Apocalypsim inter Canonicos libros collocant, omnesque Patres antiqui Apocalypsim, ut librum Canonicum commentantur, ac allegant. D. Dionysius, Iustinus, Irenæus, D. Athanasius, Clemens Alexandrin. D. Chrysostom. D. Ambr. D. Cyprian. D. Hilar. D. Greg. Nazianz. de quo vide Bellarm. lib. 1. de verbo dei cap. 19.

Quantum ad auctorem huius libri, quaestio non est de primario; manifestum est, Christum D. esse. Tota quaestio est de secundo auctore, qui nempe eam scripsit, & nobis signatam reliquit. Quamvis aliqui cum quibus est Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 7. cap. 20. dixissent, Apocalypsim scriptam esse à Ioanne, non Apostolo, sed ab altero Presbytero Christi discipulo, qui Theologus vocabatur; tamen certum est. Apocalypsim auctorem fuisse Ioannem Apostolum; ita determinat Concilium Ancyranum Canone ultimo, quod approbatum fuit in 6. Concilio generali. Conc. Tolet. 4. can. 16. denique Trident. sess. 4. expresse dicit Apocalypsim Ioannis Apostoli.

Hoc ab exordio Ecclesiæ docent Sancti Patres d. Dionys. Arcopagita Pauli discipulus lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3. part. 1. Papias Sancti Ioannis Apostoli auditor, & discipulus; ac proinde optimè potuit agnoscere, ipsum

Ioannem fuisse auctorem huius libri. Iustinus Martyr in dialogo contra Tryphonem d. Irenæus discipulus Polycarpi, qui fuit sanct. Ioan. discipulus. Origenes tom. 1. in Ioan. d. Hilar. præfat. in Psal. d. Athanas. synopsi. Clemens Alexand. lib. 2. Pædagog. d. Epiphani. hæresi 51. & alii multi Patres. Tandem cum B. Brigitta à Christo quæreret, quisnam Apocalypsim scripsisset, Ioannes iussus à Christo, hoc dedit responsum l. 6. Revelation. cap. 89. Ego sum Ioannes, cui in Cruce assignasti matrem tuam: tu Domine inspirasti mihi mysteria eius; & ego scripsi ad consolationem futurorum, ne fideles tui propter futuros casus everterentur.

Nec cum his obstat, quod liber iste stylo differat ab Evangelio, & Epistolis d. Ioannis; quia valde diversa est materia huius libri, scilicet Prophetia, proindeque diverso stylo fuit scribenda ab Evangelio, ac Epistolis, quæ sunt historia, ac materia Ethica, ac doctrinalis. Nec secundo obstat quod in Græco hic liber intituletur Apocalypsis Ioannis Theologi, quia cognomen Theologi appropriatum est S. Ioanni ob sublimitatem, ac subtilitatem doctrinæ eius, qua de Verbi divinitate, magnis quæ mysteriorum profundissimè pertractat. Sic eum appellat Dionysius Arcopagita ad eum scribens: Ioanni Theologo Apostolo, & Evangelista exultanti in Pathmos. In qua epistola inter alia sic ait: Nulla adversitas nos priuabit Ioannic clarissimo radio, id quidem consecutus memoria, ac renovatione tua verissima Theologia. Sicque nostrum Ioannem Theologum dicunt d. Hippolytus Martyr. orat. de consummat. sæculi, d. Epiphanius hæresi 51. d. Cyrillus Alexandrin. l. 3. de Trinit. d. Cyrill. Hierosolymit. Catech. 12. d. Athanas. orat. contra Idola d. Chrysostom. prooemio in Psal. 37. d. Damasc. orat. de Transfigur. ubi Ioannem, vocat, purissimum Theologia organum.

QUESTIO V.

Quo loco, anno, ac die, & idioma hic liber scriptus est?

R EVELATIONES hæc habitæ sunt in Pathmos insula, ibique hic liber scriptus est, ut patet ex c. 1. n. 9. 10. & 11. Fui in Insula, qua appellatur Pathmos, propter Verbum Dei, & testimonium Iesu. Ergo in Insula Pathmos reuelatio facta, ad quam relegatus est Ioannes de quo plura cap. 1. q. 36 & 37.

Quantum ad tempus, quo Ioannes scripsit Apocalypsim, Ioannes Annius, & Salmeron præludio septimo in Apocalypsim existimant, scriptam esse ante excidium Hierosolymorum per Titum & Vespasianum Imperatores; proindeque volunt, Ioannem Apostolum à Nerone Imperatore in Pathmos relegatum eo tempore, quo Petrum, & Paulum Apostolos primarios, unum Cruce, alterum gladio interemit; Lucius Dexter in Chron. Anno Christi 91. constituit nostrum Ioannem ab exilio revocatum; ac proinde necesse est, ut antea ponatur scriptam Apocalypsim, cum fuerit in Pathmos insula.

Iustinus, D. Iren. Origen. D. Hilar. D. Athanas.

B. Brigitta.

27. Ioannes dicitur Theologus.

D. Dion.

D. Mippol. D. Epiph. D. Cyril. Al. D. Cyr. Hic. D. Athanas. D. Chryl. D. Dam.

28.

Quo tempore scribitur Apocalypsis Annius. Salm.

Luc. Dexter.

dicen

30. D. Iren. D. Hieron. Euseb. Trimar. Arctas. An. Ireas. Scribitur anno 97.

31.

Alcazar. Cornel. La Haye. Baron. Martyrol. M. nolog. Abton. Ulfard. Surius. Baron.

32.

33.

Dicendum tamen est cum D. Irenæo lib. 5. sub finem D. Hieron. in catalogo de scriptoribus Eccles. Eusebio in Chronico. Primario, Arctas. H. Andrea, scriptam fuisse Apocalypsim circa annum Christi 97. nam, ut ait Divus Hieron. citat. Quarto decimo igitur anno, secundum post N. rancum, persecutionem movente Domitiano, in Pathmos insulam relegatus, scripsit Apocalypsim. Annus 14. Imperii Domitiani, & illius Imperii penultimus incidit ad annum 97. Christi, ipse enim regnare cepit ad annum Christi 84. & regnavit quindecim annis usque ad annum 98. Christi, in quo demortuus est Domitianus, & successit Nervæ Imperator, à quo ab exilio revocatus est Ioannes Nerva autem uno tantum anno, & quatuor mensibus, ac novem diebus imperavit.

Ex quo patet, quòd cum Ioannes scripsisset in Pathmos insula, ad quam relegatus est à Domitiano, anno Christi 97. Imperii sui 14. in illo anno intelligimus Apocalypsim scriptam, iuxta Sanct. Patres; & tenent Recentiores Alcazar. Cornelius, La Haye, Baronius, & alii. Et confirmatur, quia noster Ioann cap. 2. Apocal. num. 13. facit mentionem sanct. Antipæ Martyris, ac de illustissimo eius Martyrio de quo Martyrolog. Roman. & Menologium Græc. die 11. Aprilis Sanct. autem Antipas passus est anno 10. Domitiani. Christi verò 9. ut scribitur Abdon Ulfard. Surius, Baron. & alii.

Ex quo patet primò, quòd Ioannes scripsit Apocalypsim viginti quinque annis post destructionem Jerusalem à Tito, & Vespasiano; destructa est anno Christi 71. Apocalypsim autem scripta est post mortem Sancti Antipæ, ad annum Christi 97.

Secundò patet, Ioannem non fuisse reductum ab exilio, anno Christi 91. ut ait Dexter, sed circa annum 98. quo mortuus est Domitianus, & imperium obtinuit Nerva: nam teste antiquissimo Didone: Nerva omnes, qui impetrant in Deos rei fuerant, absolvi voluit, & exules in patriam reduxit. Et ita illo anno, quo regnavit Nerva, Ioannes ab exilio est revocatus.

Tertiò Etiam deducitur, quòd Ioannes scripsit Apocalypsim duobus annis antequam scriberet suum Evangelium. Hoc enim scripsit à exilio Pathmos revocatus, ut tradunt D. Hieron. Catalog. Script. Eccles. Euseb. lib. 5. Histor. cap. 4. D. Epiphani. D. Athanas. D. Isidor. D. Thom. Beda, & alii, quos citavit d. n. in Evangel. in Prooemio cap. 6. num. 1. & ita interpretantur multi illud, quod dicitur Apocalyp. o. num. 1. Oportet iterum prophetare gentibus, & populis. Cum ergo Ioannes scripsisset Apocalypsim ad annum Christi 97. Evangelium litteris mandavit ad annum Domini 99.

Apocalypsim reuelata est B. Joanni in die Dominica, ut ipsemet testatur Apocal. 1. num. 10. Fui in spiritu in Dominica die, & audivi post me vocem magnam tanquam tuba dicens: quod vides, scribe in libro, &c. Quisnam dies esset ista Dominica, & cuius mensis, nulla in hac re nobis est conjectura ad aliquid asserendum.

Scripsit Ioannes Apocalypsim nec Hebraicè n Apocalypsim. Tom. I.

nec Latine, sed Græcè scripsit, ut farentur communitur omnes auctores, scribebat enim septem Episcopis, ac Ecclesiis Asiae, ut constat ex cap. 1. n. 4. & 10. ac proinde consueto idiomate apud eos usus est. Deinde Græca verba apposuit cap. 1. n. 8. Ego sum Alpha, & Omega. Si scripsisset Hebraicè dixisset: Ego sum Aleph, & Thau, quod in Alphabeto Hebraico responderet Alpha, & Omega.

QUESTIO VI.

Quanta sit difficultas libri Apocalypsis.

C Oncors est omnium sententia, librum Apocalypsis esse omnium librorum Sacrae Scripturae difficillimum, ac obscurissimum; quod patet tum ex sublimitate rerum, de quibus dicitur: tum quia Apocalypsis tota plena est, ænigmatibus, symbolis, ac figuris: tum quia liber est Prophetiæ de rebus nondum impetis, ut completæ sunt Prophetiæ Isaia, Jeremiæ, ac aliorum Prophetarum. Prophetia autem quamdiu executioni non est data, valde obscura. ac difficilis est, nostrumque intellectum superat: in Prophetia Deus est, qui loquitur tegumentis, ac involucris metaphoricis, quæ enim Deus tali modo loquitur, valde remota sunt à nostra ratione, eamque superant.

Hinc D. Dionysius Alexandrinus lib. 7. Histor. cap. 23. scribit, Apocalypsim se non intelligere, & quæ in ea scripta sunt, excedere, ac superare humanæ cognitionis spheram. D. Hieron. Epist. ad Paulinum sic loquitur: Liber in Apocalypsi septem sigillis signatus ostenditur, quem si dederis homini scienti literas, ut legat; respondebit tibi, non possum; signatus est enim. Quamvis hodie putant, se nescire literas, tenent signatum librum, nec aperire possunt, nisi ille referaverit, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit. Panonius in præfatione Apocalypsis ait: Apocalypsis est opus immensa difficultatis. Idem docent Richardus Victor, Joachimus Abbas Salmeron, Viegas, Pererius, disp. 1. dicens: Multos opinari, absque singulari Dei revelatione, Apocalypsim esse prorsus incomprehensibilem. Ex quo doctissimus Caietanus, postquam utrumque testamentum suis Commentariis illustravit, in fine suorum operum ait, Apocalypsim fateor me nescire exponere iuxta sensum litteralem.

D. Ephrem lib. de scenitentia ait: Cuncta per parabolam & ænigma locutus est sanctus Ioannes in Apocalypsi. Parabolas, & ænigma solvere, valde difficile; Dei tamen gratia auxiliante, Sacratissimaque Virgine Maria patrocinante, aliquid dicere conabimur.

Pio Coronide huius rei inquires: Quare inter libros Canonicos in ultimo loco collocatur Apocalypsim cum Evangelium, ut superius dixi n. 24. post Apocalypsim fuerit scriptum à Joanne?

Respondeo, alto Dei consilio factum esse, quòd hic liber in novo Testamento ultimum habeat locum, nam primò in eo ponuntur ea, quæ spectant ad exordium, ac fundamentum

Apocalypsis Græcè scribitur. Apoc. 1.

37. Apocalypsis Prophetia valde obscurissima.

38. D. Dionys.

D. Hieron.

Panon. Victorin. Joachim. Salmeir. Viegas. Pererius.

39. D. Ephrem.

40. Quare Apocalypsim ultimo loco ponitur in scriptura.

41.

A 3

ejus



ejus, ut sunt vita Christi in quatuor Evangelis, & gesta Apostolorum in eorum Actis con-

rali producere species intentionales, nec phantasmata in homine, bene tamen, ut Dei

QUESTIO VII.

Quomodo alta mysteria, quae in hoc Apocalypseos libro continentur, revelantur Joanni, ea ipse vidit, cognovit, ac audivit?

CERTUM est, ad omnem cognitionem revelatam, sicut ad omnem aliam, duo maximè requiri. Unum ex parte objecti ad apprehensionem ejus, scilicet species; aliud ex parte potentiae, ad iudicium, nempe lumen, aut aliquid simile. Et utrumque sine dubio necessarium est in cognitione revelata, ut fuit in Prophetis.

Advertendum tamen est, quod revelatio facta Prophetis, ac viris Apostolicis primitivae Ecclesiae, communiter facta est à deo immediate, qui potuit novas species intelligibiles in mente, novaque phantasmata in phantasia producere; at revelatio nostro Joanni facta est immediate ab Angelo, ut ipsemet testatur statim exordio: Apocalypsis Jesu Christi missens per Angelum suum servo suo Joanni.

Angelus autem non valet, virtute sua natu-

42. Quid necessarium ad cognitionem.

D. Thom.

43. Revelatio facta Joanni per Angelum.

44.

Suar.

Quomodo beatus Angelus illuminat.

D. Thom.

D. August. Caeteran. Capreol. D. Bonav. Durand. Argentin. Richard. Argentin. Richard. Scot.

45.

Quomodo Joannes vidit haec mysteria.

S. Brigitta.

Suar.



CAPUT PRIMUM APOCALIPSEOS.

CAPITIS ARGUMENTUM.

TOTUM caput tripartitur. In prima parte usque ad versum 4. ponitur Titulus libri, ejusque majestas, ac excellentia. In secunda parte usque ad versum 8. apponitur salutatio ad Ecclesiam Asiae, quibus predicaverat, simulque inseritur honorifica Christi commemoratio. In tertia à vers. 9. usque ad finem declaratur valde gloriosa prima Christi apparitio in medio septem candelabrorum aureorum, quibus septem Ecclesiarum Asiae significantur Episcopi, ad quos Dominus loquitur.

Apocalyp. 1. n. 1. Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere, servis suis, quae oportet fieri cito, & significavit mittens per Angelum suum servo suo Joanni.

VERSIONES.

Syrus. Revelatio Jesu Christi quam dedit illi Deus, ad indicandum servis suis, & manifestavit, quam misit per Angelum suum.

Pagnin. Revelatio Jesu, quam dedit illi Deus, ut ostenderet.

Arabicus. Quodque dedit illi Deus ut revelaret servis suis quidquid futuris saeculis oportet fieri, signatum ab eo, missum per Angelum suum.

Indicare servis suis. Quae oportet fieri in celeritate, & sigillavit mittens per Angelum suum.

Tygrina, Vatablus. Significavit emissio per Angelum suum mandato.

EXPOSITIO I.

APOCALYPSIS Jesu Christi. Joannes incipit hanc praedictarum librum propheticum, more Prophetarum, qui initio, ut auctoritatem verbis suis concilient nomen suum indicant, & à quo prophetiam acceperint: nempe non ab invento humano, sed à divino afflatu provenisse. Visio Isaiae filii Amos. Et statim: Dominus locutus est. Isai. 1. num. 2. Factum est Verbum Domini ad eum, scilicet Jerem. 1. n. Ezech. 1. 2. Factum est Verbum Domini ad Ezechiel. 1. num. 7 sic & Osee. 1. num. 1. Joel. 1. num. 1. & sic de caeteris. At noster Joannes sublimius, & altius inchoat; ait enim: Apocalypsis Jesu Christi. Hoc est, revelatio facta non puro homini, sed Jesu Christo vero filio Dei; quam dedit ei deus Pater, & ipse Jesus Christus revelavit eam Joanni, non immediate per se ipsum, sed per Angelum. Significavit mittens per Angelum suum, servo suo Joanni. Apertè indicat Joannes, à quo hanc prophetiam acceperit.

Apocalypsis. Vox Graeca est, idem valens, ac revelatio; subintelligitur, haec est, apud Hebraeos enim communiter hujusmodi particulae suppletur: Ut visio Isaiae filii Amos. Intelligitur, haec est visio Jesu Christi: indicat Evangelista, cui facta est haec revelatio, à quo ipse eam accepit. Quam dedit illi Deus. Scilicet Christo, ut homini. In primo instanti suae Incarnationis, à quo Christus fuit plenus omni scientia, & gratia, ei Pater revelavit, & aperuit omnia futura, non anigmaticè, sed palam, & distinctè Pater enim clare, & manifestè loquitur filio suo omnia. Palam facere servis suis: id est; ut palam faceret; palam facere, Graecorum phrasus est, idem valens, ac ad faciendum, seu, ut faciat. Luc. 1. Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris. In Graeco est, facere misericordiam; ac proinde palam facere, idem est, ac ut palam faceret servis suis. Nempe fidelibus, ac Christianis.